



FRidericus filius fuit Friderici Burggrauij No-
rinbergensis, qui genus suum ad nobilissimos
comites in Hohēzollern referebat. Is suum filium
in omnis generis uirtutibus optimè educabat. Ita-
que factū ut postea alios principes pietate & for-
titudine longè superaret. Cum ergo eo tempore
Brandenburgensis marchia suo duce & guberna-
tore destituta esset, Sigismundus Imperator, ean-
dem huic Friderico, accepta quadam pecunia, cō-
cessit, atque etiam anno millesimo quadringente-
simo decimoseptimo in Concilio Constantiensi
magna solennitate Imperij electorem constituit. I-
taque Fridericus ab eius terræ incolis magno gau-
dio susceptus,

Marchionatum mirabili prudentia & dexteritate administra-
uit, atque inter alios Imperij principes & electores in magna authoritate fuit.
Tandem etiam moriens, electoratum cum suis regionibus filio suo Alberto
reliquit, cuius abnepos Ioachimus etiam hodie magna gloria n̄s in locis
rebus moderatur. Monst. lib. 3. German. Ut autem eius
familiam commodius intelligamus, tabulam
sequentem subijcere placuit.